MERCURIUS SERAPHICUS
Pro Domo Domini
FACUNDUS
D. SIMON
DE
LIPNICA,

Recurrente annua suæ Festivitatis luce
In Conventu Stradomiensi
Ordinis Minorum S. FRANCISCI,
Regularis Observantiæ P. P. Bernardinorum,

Cultu Panegyrico,

Per

M. PAULUM JOSEPHUM GORCZYCKI,
In Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem & Professorem.

DEMONSTRATVS.

Annô, quô
Verbum Æternum pro salute generis humani peroravit. 1725. Die Mercurij Mensis 18. Julij.

Cracoviæ, Typis Academicis Collegij Majoris.

In Gentilitium Stemma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.
MICHAŁOVIANÆ



Dum ROSA ſuaveolens Clavi ſociata refulget,
Hinc Patriæ toti panditur almus odor.
Aurea ſub Cæleſtia Clavis ſidera fertur,
Lechiadis ipſum vult reſerare Polum.

ILLUSTRISSIMO & MAGNIFICO DOMINO, D. JOSEPHO SIMONI IN MICHALOW MICHAŁOWSKI,

SUBDAPIFERO PALATINATUS, VICE-CAPITANEO & JUDICI Castri Cracoviensis,

Domino ac Mecœnati Amplissimo.

F*Acundus pro Domo Domini Mercurius D. SIMON minùs facundô Oratoris eloquiô declaratus, in Tuum Gentilitium è Seraphico Cælo dum descendit Rosetum, etiam Hortensius nuncupandus.* Illustrissime Domine. *Iam enim non verba duntaxat, sed & rosas SIMONI facilè perorare, ad Tuam ROSAM consistendo. Nunquam verò hoc Rosetum subintrare auderet, ni liberum aditum repanderet CLAVIS.*

Alijs quidem ſub clavi perſiſtere, captivari eſt, ſub Tua aurea, vnica recreatio; cui non Mercurios tantùm, aſt & Ioues Sarmaticos non inſolitum aſſervare. Delectat Pátriam ROSA, CLAVIS *fortunam ejus ſecuram reddit. Hæc aperit in magnis Viris proficuos Reipublicæ ſenſus, illa ſua amænitate florenti Patriæ ver perpetuũ inducit. Hæc, ne aureæ Libertatis gemma ſubripiatur, oſtium infenſo hoſti non hoſpiti claudit, illa ſvauiſſimo odore nocivos Lechiæ interimit ſcarabæos. Ambæ in bonum Patriæ, cujus cor non ſemel certè deficeret vitâ, ni* CLAVI *obſeraretur, ni langvens fragranti refocillaretur* ROSA. *Non de vili hæc eſt* ROSA *viridario, à Roſinis adhuc Romanis ſuam plantationem habet. Pòſt primò in Bohemia ſuum explicuit florem, tandem in Polonũ campum feliciter tranſplatata. Mirare Sarmatia fragrantiam* ROSÆ MICHAŁOVIANÆ, *quæ odore ſuo ipſum replevit Polum. Quæ enim* ROSA *Stemma Gentilitium eſt* MICHAŁOVIIS, *eadem &* D. ADALBERTO. *In* PRIMATE *Regni Diviniſſimo primas occupavit Curules, illis eſt ſemper digna. Facilè Purpuratos Proceres dat Patriæ, quæ pro* DEO *& Fide zeloſiſſimum dedit Martyrem Cælo. Sed ne ſub* ROSA *arcana laterent,* CLAVIM ROSÆ CASIMIRVS *Rex contulit, quòd* IADZWINGORVM *aciem, quam* MASLAVS *Mazoviæ Princeps deduxerat, acerrimîs hebetavit aculeîs. Patuit hac* CLAVE *ad fortunam janua, dum* MICHAŁOVIVS *ultimam Hæredisſam Principem in Ducatu Mazoviæ* IASIENCZYKOWNA, *per conjugale vinculum in ſuum ſuſcepit Roſetum. Patuêre honorum poſtes auguſto Majorum ingreſſui, è quibus Viri non uni Metello & Scipioni pares, illuſtres animæ in fatis obnubilari neſciunt, diemq; ferunt inter noctes* NICOLAVS de Michałow MICHAŁOWSKI, *Palatinus Sendomirienſis, toties pro Patria verus ore Tullius, ſæpiſſimus ad Lithvanos in cauſis graviſſimis Nuntius, in quo fuit, quod obſtupeſceret Lithuania. Nihil* NICOLAVS *pro*

integri-

integritate Reipublicæ effatus, quod non fuisset aurô ponderandum. Unius nominis, nec alius à primo virtutis de Michałow MICHAŁOWSKI, *Castellanus & Capitaneus Cracoviensis tempore D. VLADISLAI IAGELLONIS contra Cruciferos Supremus Exercituum Dux, sola Regis Majestate minor, & purpurati in summo honoris cum Epaminondis etiam certare suppar, qui quoties ferrum in fœdifragos Ægeones strinxit, toties victor evasit. Nescit sub ROSA silentium ALBERTUS* de Michałow MICHAŁOWSKI, *Castellanus Zavihostensis, pro quo virtus perorat. Ad trabeatum hic honorem natus, illa animi magnitudine, illâ prudentiâ polluit, quâ & post fata clarere decet Senatorem. Seqvuntur maiori numerô magni Fabij, Oracula Senatûs,* VALENTINVS *Palatinus Podlachiæ,* STANISLAVS *Sub-Iudex Ravensis,* IACOBVS *Pocillator,* GASPAR *Vexillifer Terræ Cernensis MICHAŁOWSCII, quorum singulorum illustria facta cum Historias faciant, sôlô mihi memoranda silentiô. Inseruit immortalibus astris Sacra Astræa, quid quid optimus* MELCHIORIS MICHAŁOWSKI, *Vicecapitanei & Iudicis Castri Cracoviensis, Tribuni Lublinensis animus pro causa DEI & justitia fecit. Summus hic legum Arbiter ad Regni Tribunal quatuor vicibus liberîs totius Palatinatûs votîs Deputatus, nunquam putativum Iustitiæ, sed perfectum Patronum egit. Illa consulta dabat, ad quæ non unus suspendit Cato supercilium. Processit virtutis à Paterna Idea* IACOBVS MICHAŁOWSKI *Castellanus Becensis bellatorum gloria. Igneus pro juribus Universitatis Cracoviensis Zelator non erubuit Hectorem agere, quoties contra Sacrum Polonæ Sapientiæ Palladium vis aliena surrexerat. Dignus immortalibus gratitudinis literis, qui pro literarum Regno Senatoriô votô decertabat. Non dispar Castori Pollux* HYACINTHUS MICHAŁOWSKI, *Capitaneus Crepicensis, qui pretiosis virtutum dives hya-*

cynthis sæpe monstravit MICHAŁOVIANÆ CLAVI *nihil in-vium, nullumq; certamen, in quo illa non reserâsset januam ad triumphos. Ingentia horum duorum Nomina ut Nûmina fuêre.* IACOBUS KAZANOVIANO, HYACINTHUS *in Tarnow Comitum sangvini per dignissimas Consortes juncti, uterq; æstimatissimus unio, Lechiæ Coronam etiam post sua exornat fata.* IACOBI *Aui Tui* ILLUSTRISSIME *Domine ampliat gloriam immortalem Tuus dignissimus Parens* MELCHIOR *Dapifer Rosanensis, & ROSA Gentilitiâ vernat, & præclaris operibûs. Hæc semper duxit floralia, quæ ex virtutis, & meritorum cultura procedebant. Rosinus verior extitit, qui floriditate verborum amænus, illas Patriæ Rosas locutus, quas nec unquam Majestas meminit se Romana locutam. Decora ejus & merita etiam inde summam æstimationem merentur, quòd illis* CZARNECCIANA NAVIS *meritorum in Republica Polona accessit oneraria, dum* ALEXANDRAM *de* CZARNCA CZARNECKA STEPHANI CZARNECKI *Palatini Russiæ fortissimi à Borysthene, Ponto, Moschua immanis Hydræ Domitoris germanam filiastram,* STEPHANI CZARNECKI, *Palatinatûs Cracoviensis Ensiferi, moribûs Catonis, eloquiô Nestoris Neptim,* MARTINI CZARNECKI, *Generalis Castrorum Regni Præfecti, magni Lechiæ Pompei portionem cordis potissimam unicam Filiam in vitæ Sociam duxit. Vivere desijt* MELCHIOR, *sed magnus Filiorum Ternio eundẽ facit immortalem.* NICOLAUS *Canonicus Præmysliensis,* STEPHANUS *exotici deliciúm Martis, uterq; brevi spatio vitæ longam sibi promeruit æternitatem. Immò in Tuo Fraterno pectore adhuc vivunt immortaliter. Tibi natu Majori de suis annis addere volebant, ut diutiùs Patriæ bono, & Domûs* ILLUSTRISSIMÆ *augmento decoriq; maximo interesses. Tu*

enim

enim venerabile Majorum Tuorum Pantheon es, qui cuncta hæc, quæcunq; in Antecessoribus Tuis admirata Polonia, ingeniô Tuô in Epitomen redegisti. Hoc nisi ab illis discrimine, quod honores meritis Tuis debitos ex innata modestia recusare contendis, mereri non habere dignitates contentus. Prima vitæ tuæ cunabula scrutari timeo, quæ absq; prodigio non fuerunt. Necdū natus fuisti, jam nomine SIMONIS *de* LIPNICA *ut notus esses, in somnijs Parens Tua dulcissima monitionem accepit. Arcanum hoc non sine Cæli instinctu fuit, Te virtutum Diuæq; Themidis strictiorem observatorem prævidit. Unde non modò primùm* SIMON D. *ad Te* ILLVSTRISSIME DOMINE *suam relationem habet, Cæli ipsi Tuum esse Patronum decreverunt.* SIMONI *adjunxisti* IOSEPHI *nomen, utroq; dignus. Etiam* IOSEPHUS *dici debueras, cùm in Te Patria sui agnoscat incrementum. Strenuus Achilles teneros Bellonæ dicâsti annos, arma pro Patriæ libertate gerendo. Omni tua ætas impensa labori, utraq; Pallade tersa, & bellis & libellis insignis. Illa Te Virum, hæc Tuum caput bibliotecam fecit. Præter humaniora studia, quæ alijs ad laudem sufficiunt, etiam altioris scientiæ fontes hausisti, ut magis Divinæ voluntati conformareris. Imitatus es Æsculapium, ut Apollinem exprimeres, libris ejus incumbebas, ut liberæ Gentis infirmitati, non pharmacô, sed consiliô medereris. Probavit in Te magnam legum Constitutionumq; exasse peritiam affectu & effectu Iuris consilijq; publici aureus Tripos* ILLVSTRISSIMVS & EXCELLENTISSIMVS DOMINVS *FRANCISCUS* in Zywiec & Pieskówaskala *WIELOPOLSKI*, PALATINVS Siradiensis, Generalis Minoris Poloniæ Cracoviensis &c. &c. CAPITANEVS, *& Te in ædem Iudiciariæ dignitatis suô Pegasô invexit. Commisit prudentiæ Tuæ Iustitiam regendam, quam jam in Supremo Regni Tribunali Mareschalcali dignitate functus optimè*

gubernabas. Quis non videt ILLVSTRISSIME DOMINE *Te exactè juris conservare regulas, nullas ad exceptionem respectûs admittentem. Iterum urgente Palatinatu Cracoviensi ad Tribunal Iudex Deputatus extitis, & Tua protectione, quisq; in suo persistit jure. Quippe justitiæ Cultor, servator honesti, in commune bonus, jura non verba fundebas. Revocâsti* ROSÆ *Tuæ suaveolentiâ de Cælo Astræam cum æquilibrio, favoribus exiliū decrevisti. Delphicum ceu Numen à toto Regni adorabaris Areopago. Quidquid ex mentis Tuæ senaculo statuisti, pro oraculo habebatur. Occupabat toties in jus vocatorum corda dolor, quoties de sacro gressum movisti Tribunali. Tua absente* CLAVE *clausam sibi januam ad Themidem dicebant, præsente apertam. Et tunc tantùm in bilance justitiæ librâ Phocionis justiùs ponderatam suam causam rati; dum illi Tuæ sententiæ gravitas adfuit. Functione inclarescens Tribunalitia major es Hercule visus, & Tribunali, & Castro Cracoviensi præsens, in utroq; intricatissimas causas resolvendo, decidendo. Decretis Tuis ille tantùm non contentus, cui ipsa justitia non ad gustum. Sanè Domus* MICHAŁOVIANA, *quòd semper regiminis, & publicarum functionum capax, ex Te* ILLVSTRISSIME DOMINE *ingens documentum. Sæpius in Comitiolis Mareschalcalem caduceum mole curarum gravem attollis, & Sarmaticus Mercurius vocari debes. Sub Te omnes in debitam componuntur malaciam, qui disertâ facundiâ omnium conciliare animos, illorumq; æstum, qui plerumq; extra se feruntur, prudentissimè novisti temperare. Ipse majestate plenus vultus tuus antequàm perorat, mentium victor existit. Musæ si mella Heliconia in labiorum alveari laborarent, tanta suavitate non sic allicerent mortales, ut Tu Magnates blandô oris tui eloquiô. Quot quot in alijs reperiuntur virtutes & decora, collecta tenes. Habes Romuli magnanimitatem, Numæ pietatem, Tullij Hostilij bel-*

landi-

landi peritiam, Licurgi justitiam, & quidquid modernum sæculum elegantia sapit, id totum in Te uno, veluti Ilias Homeri in nucis putamine, clauditur. Non hic encomiorum tuorum scopus, quò altiùs laudator vibratur calamus, eò in ampliorem laudandi devenit Provinciam. Adsunt ad Tuum splendorem deducta per Celsissimi Sanguinis lineam magnarum Prosapiarum lumina, LESCZYNSCII, POTOCCIJ, DUCES ZBARAZIJ, BOGDANSCIJ, WALEWSCII, KAZANOWSCIJ, KOCHANOWSCIJ, WIELOPOLSCIJ, KOMOROWSCIJ, BIEYKOWSCIJ, JABŁONOWSCIJ, TARŁONES, KOWALSCIJ, BRANICCIJ, OSSOLINSCIJ, DEMBINSCIJ, ZALESCIJ, WALISZEWSCIJ, MAJOVIJ, GOSŁAVSCIJ, DANIŁOWICZOVIJ, RZESZOWSCIJ, POCIEIOVIJ, ZARANKOVIJ, TOMISŁAWSCIJ, ŁUCZYCCIJ, TOMICCII, *& alij innumeri Semidei, omnes Domûs Tuæ grande decus, columenq; Patriæ.* ILLVSTRISSIMA MAŁACHOWSCIORVM FASCIA *centrum honorum est, Tuæ Domûs ampliat decora, & Te illis coronat. In* TERESSIA *ILLVSTRISSIMÆ* MARIANNÆ MAŁACHOWSKA, *CASTELLANÆ Inowlodensis FILIA, Te digna Conforte inextinctum Domûs Tuæ adauget splendorem. Pándora illa est, in quam omnia decora propitium Numen, quibûs singulîs singulas beatas fecit, congessit. Accedit Domui Tuæ Illustrissimæ pretium ingens, & ornamentum singularissimum in magnæ expectationis carissimis tribus Filiis Tuis, (plures votô Patriæ desiderantur)* FRANCISCO, CASIMIRO, NICOLAO, *quibus ad solatium Tuum crescentibus crescent honores, crescent elogia. Taceo plura sub Gentilitia*

ROSA, Seraphicus Mercurius enarret gloriam Tuam D. SIMON, quem vel ideo facundum dixi, ut pro Domo Tua disertissimè peroret, vitam Tibi longævam ILLUSTRISSIME DOMINE, *honores magnis Tuis meritis pares, & felicissimos apud Cælum evincat successus, quos precatur.*

Illustrissimæ ac Magnificæ Dominationis Vestræ

Humillimus Seruus
& Cliens.

Author Operis,

ORATIO,

FAcundis & fæcundis voce Spirituq; Divino Tullijs si quando, nunc gyrante in deteriora Orbe opus est. AA Multi enim audaciâ furentes in Sarmatico solo aspexêre solem Catilinæ, multi excæcati vitiorum caligine, imò omni sensu destituti prodière Andabatæ, quibus nulla fides pietasq; præest. Depontanus quantumvis Mundus, non effetus tamen, plurimos parturit Encelados, qui scelera sceleribus accumulantes, Gygantomachiam contra Numina movent. Præter prisca Arrij, Calvini, Lutheri, sæva errorum profligata capita, nata est septiceps bellua recentior Hæresûm soboles, quæ os suum aperit, ut unô venenosæ doctrinæ hiatu absorbeat Universum. Rapaces terrarum Harpyæ, quibus haud tristius monstrum, stygijs erumpunt de vndis, non jam ut Phineum, sed sine fine Deum infestent.

Portenta hæc gnárã quidem, quòd una fides, una est pietas, una colendi ritè Deum ratio, cætera tamen inveniunt, ut suam profundam ingluviem pleniùs exsatient. Charontes animarũ Classes integras gentium per stygias paludes urgent, ut eas faciant infixas limo profundi. Infames famam sibi comparare gestientes, nocere potius eligunt, quàm latere fumosi: ideo Sacrarum imaginum incendiô velut Herostratus ille, Historiam ipsam solicitant, ut pessimum nomen, cujus memoria omni odiô, omnibùs legibus damnanda est, posteritas ceu Numen adoret. Novæ extra sceleratã Plutonis sedẽ Eumenides, quibus Increati Verbi Matrẽ impurîs verbîs lacessere, legum tabulas conculcare, in omne nefas ruere, hic unicus ludus. Contemnit dogmata Christi Sacer Lutherorum Ordo, quia socer trifaucis Cerberi, ferreq; sua putat Superos mente delicta erroresq;. Indicit pietati bellum, nec aliam habet Sapientiam, quàm quæ mentes infatuat. Insanit non obscurè, firmitatem animi existimat non pavere ad Cælestes minas, addit nequitijs audaciam, ut iratum Jovem non tantùm videatur contemnere, sed provocare. Acherontius scriba illum calamum aptat, quô Sanctam fidem extra Thulen proscribat, illud atramentum ministrat, quô candorem Ecclesiæ intingendo denigret. Nullus adest improbo timor, vagatur delirus huc illuc, cuncta fortunæ moderamine autumans regi. Vastissimam Charybdim rectè eum dixerim, qui torvus gaudet inexhaustas aptare in pabula fauces, ut Petritiam abliguriat Liburnam. Sed quis efferatis Leænis obicem atq; aggerem opponet? quis purpuratus Eloquentiæ Princeps? cujus

sub

ſub jure togaq; pacificas ſævus tremeret ſecures Catilina. Quis Cineas verborum ſonô ſtygiũ mulctabit Momum, ne ampliùs Infinito Bono detrectet. Quis Eccleſiaſticus Jupiter ex ignitis exhalationibus conflabit fulmen, quó in Cælis minitantes detonaret Cyclopas. Ad D. SIMONEM de LIPNICA ſvadeo recurſum. Ille abſq; dubio perverſum infernalis Lernæ caput Seraphicô igne exuret, ſuffocabit. Ille allatrantibus ſidera canibus, ne diſſoluti pererrent, funiculum ſuum,quaſi Catenam inijciet Hercules Gallicanus. Ille ſcintillantem infidelium iram, quam nec Pharij poſſet reſtingvere regni exitium, fonte ſuo extingvet. Sæviat licèt animis vipereum genus, crepet buccîs inflatîs Buccerus tamen, dum SIMON D. coram ſuprema Cælorum majeſtate pro domo noſtra perorabit, quaſi, ad parmam Perſei Gelones, obrigeſcet. Hic enim SIMON D. Demoſthenes eſt, qui dictîs multorum animos, & pectora mulſit truculenta. Hic Arpinas, qui dum Oratorios formavit impetus, ſemper tulit arma diſertus. Bene eſt: Mercurium & ego Seraphicum pro Domo Domini facũdũ incultâ Panegyri demõſtrare conabor. Cùm quidã ſentiãt Mercurio lingvã conſecrari debere, meã ego Tibi Mercuri Seraphice dedico, illam rege, ut bona omnia dicat in tua præconia. Altum virtutum tuarum tentans, ne Icariam redordiar ſcenam, tuis Seraphicîs me inſtrue talarîjs. Multùm hujus Seraphici Mercurij vos delectabit facundia, modò benevolas in attentione concedite aures.

Regulandam ad D. SIMONEM minorem Categoriam antequam attentare præſumã, priùs in majori veſtrum advolare in conſpectum Mer

 curi-

curium cupio. Hic ubi primâ vitæ cæpit rubescere aurorâ, aut quibus Parentibus natus si indagatis, non vana fides docet genus esse Deorum.

E Jove Mercurius Nymphaq; Atlantide cretus
Est præco Superûm.

Hunc candida Maja Cyllenes dedit, qui cùm Eloquentiæ Deus extiterit, etiam Paranymphi officium non detrectavit. Nuntius vel ideo factus, quòd cùm alas in pedibus & capite gestaverit, celer in dandis Deorum responsis remanebit. Ingenuus Atlantis Magni Plejonesq; Nepos, cui tempestatum est data potestas, quòd turbulentissimarum Civitatum jurgia, vî eloquentiæ mitigare consveverit. Ex utroq; Cæsar extitit Mercurius, qui non solùm literas & astrorum cursus calluit, verùm omnium, quæ ad eruditionem spectant, inventor appellatur. Sed veriorem Mercurium D. SIMONEM de LIPNICA reptabunda dictio veneratur. Non Jove quidem nec Majâ, sed magnis virtute, magnis pietate Parentibus prodit feliciorî Lucinâ D. SIMON. Prodit non in Cyllenio Arcadiæ monte, sed ad exesas submontanorum rupes, inter illas novus Mercurius vocem & Spiritum probaturus. Natum Alma Parens gracilibûs constringit fascijs, Mercurium præscivit, ne avolet, illum sibi ligari persvasit. Perorat non vagit in cunis D. SIMON, & cùm tenues nodos non valet Pusio, ora resolvit Mercurius. Stupendus infans, nec dum bene reptare dedicit, jam contra infanda nefandaq; scelerum monstra consurgere novit. In tenera adhuc ætate Mercurius D. nihil temerum sapuit, statimq; notus, quòd ad Divina natus. Major annis datur ad Academiam Cracoviensem à pio Geni-

nito-

nitore non ignorante pietatem haud poſſe meliùs inſtillari, quàm cum Muſarum lacte. Sed quid dico ad Academiam? ad Palladem dicere debui; quæ cùm ſit filia Jovis quia ejus cerebro ſata, D. SIMON ut Mercurius, ad eam relatione fraternâ pertinebat. Subintrat ergo adyta Pallados Jagellonicæ, & primò in Grammaticali conſiſtit valle, Verbum Mercurius cognoſcit, ſed æternum. Bifrontis Parnaſſi conſcendit cacumen, in quo vix doctæ D. SIMONEM plauſibûs excepêre Muſæ, jam ſvaviùs canere viſæ, tantô agitante Mercuriô. Videns hunc Sacratiorem Ephebum Pieridum Phæbus, jam Helicona, jam Aonium fontẽ, ut Citharædus Camænis alluderet Mercurius, deſerebat. Diu tamen D. SIMON inter figmenta verſari noluit, æternam Veritatem ſecutus. Alas à Pegaſo mutuatus, verus aliger Mercurius SIMON campum involat Tullianũ. Tullius dum facundum SIMONEM ſpectat, conticet, quaſi coram Diviniori Mercurio perorare difficile ratus. Sub Porphirianam arborem progreſſus, ex illa ut fiat Mercurius, ſcientificos diſcit ſenſus perorare. Ad Philoſophicum tandem deſcendit ſtadium, in quo ferventiora adhibens ſtudia, ſic virtutis & Minervæ palato arriſit, ut ſuum Athletam ubiq; ſequerentur. Temporis parcus diſpenſator, nullum, niſi honeſtarum artium piæq; devotionis otium adamavit. Egregia Mercurij indoles Sanctæ æmulationis acta ſtimulìs non currebat, ſed præcocibûs volabat pennìs de ſcientia in ſcientiã, de virtute in virtutem. Non diu ideò in ſtagiritico navigatum eſt Eurippo, brevi ad lauream appulit, non aliunde, quàm à ſua Encyclopædia virtutis nactus ſuffragium. Debebatur D. Mercurio pro

laurea virga, ſed laureîs coronatus, qui lauro & auro digna geſſit. Doctorali bireto antequam dignus ſibi creditus, ſe Mercurium oſtendit & facundum. Hic jam alatus Mercurius fortunatiori niſu, quàm Icarus, dum altum literarum ſuperavit, in bivio ſtetit, quò tendēdū. Nec fluctuantem animô D. SIMONEM miremini AA.

Omnes in bivio ſumus, atq; hoc tramite vita
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

In bivio certè locari debebat, dum & olim bicipitem Mercurij ſtatuam in bivijs trivijsq; poni vidit Orbis. Sed domi jam Mercurius D. qui in bivio Herculis viſus, abit, quâ Dij vocârunt. Cracium Academi lucum deſerit, & qui nunquā noſcitari atq; in lucem protrahi didicit, Seraphicis in umbris lucere exambit. Quid agis Mercuri D. SIMON? quid ſine te gens tota Thaletum? Orbem literarium abeundo orbas, revertere, nec noſtros deſere cætus, utiq; magis ſemper apparet virtus, quoties eſt in publico, utcunq; per ſe illuſtris, in theatro tamen illuſtrior. Verba in ventum ſemino: ſcit D. SIMON, quid facit. Recedit à Mundo, ut mundus Deo in hecatomben cedat. Avolat ab ipſo in maligno ſeu igne poſito, ne aduſtîs talariîs vitreo det nomina Ponto. Fugit Mercurius mundanas Syrenes, diſertiùs in deſerta vanitatibûs Bernardi Domo locuturus. Cælum enim eſt Sacra Patrum Bernardinorum Religio, tot ſyderibûs cælatum, quot Cætibûs Virorum, quot edecumatorum ſapientiâ luminibus clarum. In Cælo Mercurios eſſe Divina fatetur Matheſis, D. SIMON uti Mercurius, ut in Cælo Seraphici FRANCISCI locaretur, oportebat. In quo ſi Seraphini duabûs alîs velant facies ſuas, inde SI-

MO-

MONEM LIPNICIUM ex virtutis & ſapientiæ pennis Seraphicum Mercurium concludite. Iam Mercurius Seraphicus D. SIMON, cujus ſi Sanctitatem aſpicio, ſuſpicio, ſi probitatem admiror, miraculum eſſe dico, ſi oris majeſtatem ſcrutor, opprimor à gloria. Novitius SIMON novale Cænobio, cùm orationi contemplationiq; vacaret, uſq; adeò pietatis alis mens Seraphici Mercurij attollebatur, ut ipſum Cælum attingeret. Caſtior Hyppolitus SIMON Reginæ Cæli ſuum cor liligeri candoris plenum dedicavit, quod adeò erga Illam inflammavit, ut hæc Sanctior Ægeria Numam ſuum fateretur. Nunquam ſomno dedit pervigiles oculos, ſemper Paranymphus Divinus SIMON dulci cantu ſalutationem ingeminabat AUE MARIA. Verùm uti nullus Jupiter abſq; ſuo Mercurio, vocat Deus ad Sacerdotium D. SIMONEM, ut jam non Seraphicas ſupra Arcam Domini alas, ſed ut Ipſum Arcæ teſtamenti Dominum felix Verbi Incarnati bajulus portet. Factum eſt in terris, quod boni Divi juſſêre. SIMON D. Myſta factus, victima DEO ſtetit, non fruſtra Vitellium diceres, quem tamen non ad forum Boarium expoſuit Vauellus, ſed ad Sacratiores Aras. His admotus Mercurius, lumina quod poteſt lacrymis implet obortis, ne ſe aridum virtutibûs demonſtret. Quid ſibi volunt tanta lacrymarum ſtillicidia D. SIMON? ſi aliquas Tibi vitiorum agnoſcis culpas, nullas in te linceus Erebi oculus adnotavit. In terra adhuc, & jam terrenorum neſcius extitiſti, quid modo? ubi tua converſatio tota in Cælo Seraphico manet. Sinamus flere SIMONEM, Mercurius Seraphicus pro Domo Domini peroraturus, lacrymas ab oculis

fundit, ex illis gemmas verborũ, ut colligat. Nec solô contentus luctu, inijt luctam cum sua carne, hanc ut titillantem domet, non domum, ast in foveam sese demittit. Mercuri Seraphice geminos hìc Tibi adesse video, ubi geminam Matris telluris propaginem, mordaces vermes, qui te exedũt, rodunt, terebrant, sangvinemq́; eliciunt puncturâ, nec unô punctô, sed continuò, fortè, ut tibi Seraphico Mercurio purpuram Martyrij, an togam depingant. Proh dolor! quousq́; tam immanes subibis morsus D. SIMON, qui nullum sentis tuæ conscientiæ vermem. O summam patientiam SIMONIS LIPNICIJ! qui in tanta cruciatuũ abundantia nec deficit, nec dehiscit. Ad exoticos soles alatô pede carpit iter, solus SIMON Seraphicus Mercurius visendus. Nec sine misterio: scivit certè sterilem Saracenorum glebam, ideò, ut in illa opima optimaq́; virtutum excrescat seges, Divinior Mercurius ei benignô favet aspectu. Asperiora Marpesiâ caute Saracenorum pectora ut emolliat, & veriùs, quàm Amphion testudine Thebas surgere faciat, Citharam pulsat. Immò impium genus supponens esse sine fidibus chelym, quam ut efficiat arte canoram, ei unam applicat fidem, quæ est credere Deum. Non jactitet Mercurius homines se ad humaniorem vitam reduxisse. Seraphicus Mercurius SIMON plusquam feram, quia efferam gentium extranearum barbariem ad Deum convertit. Lacte Junonis, quod ex ore exciderat, fecit viam Mercurius in Cælo, hanc ad Cælum D. SIMON veriorem fecit, dum in aridum Paganorũ lactea Christianæ doctrinæ mittebat fluenta. Non Legatus, sed viator Mercurius noster petijt Hierusalem, volens ne illi hæc civitas indulgeret, quæ

Prophe-

Prophetas occidebat. Aſt non Martyrio voluntas, ſed voluntati Martyrium defuit. Repetit itaq; Pænates ſuos Mercurius Seraphicus, Religio Salutatorio plauſu, & intimô cordis jubiló circumſtat, Superiorem proclamat. Proclamatus D. SIMON Superior recuſat, recuſantem urgent. O verum Divinæ humilitatis Æmulatorem! virtutum prædicamentum SIMON, ſubjectum vult eſſe, ſubeſſe non præeſſe curando. O Seraphicum Mercurium! qui talariis licèt inſtructus, ima tamen, non alta petit, & ſe ipſum admonet: *Non ſis Prælatus, non ſis Medicus.* Iam hîc non deberet in laudes exaltari facundia, ubi Seraphicus Mercurius humiliatur. Sed necdum oracula pandentem audiviſtis Mercuriū SIMONEM, nunc linguis, animisq; favete. Advenit ad illum Eccleſiaſtes conſilium petens, ex quo fonte ducturus eſt ſacri ſermonis exordium, ut exodium terminale peccatis imponat. Quomodò poſſit detonare, ut pœnitentibus amarum indicat imbrem, quæ verba ignita adhibere, ut frigidos in Septemtrione mortales ad pietatem accendat. Brevi uſus laconiſmo D. SIMON, veriora Tripode dat reſponſa: *Ora, Labora, Deſpera.* Sed quid eſt Mercuri Seraphice? Ora labora ſcimus, mirum deſpera percipere non poſſumus. Vel ne deſperare jubes? contra Spiritū Sanctū eſt. Ex folio Sybillæ perplexitatem ambagibûs involutam ne quæſieritis, D. SIMONEM audite explicantem. Deſpera de tuis viribus, non de Divino auxilio, Præcones verbi Divini hanc maximam putent ſapientiam non ſibi inniti, ſed Deo fidere, & confidere. Plura addiſcetis AA. Magiſtro Novitiorum attendite SIMONI. Petentes

ſuſcipi ad ſociam Regulam, qui ſi non cereo impleti ſpiritu, ſic probat D. SIMON, mandat candentem adferre ignem, & ſub illorum ſternere pedes. Non turbetur cor veſtrum Juvenes dilectiſſimi, nec vos abſcondatis à calore ejus, aut metu percuſſi, an perculſi inalgeſcite, dum ſtatis ad ignem. Carbones hi igniti in ignes vobis cedent triumphales. Calcant uni, cæteri reformidant, impoſſibilitatem, ut ignis frigefaciat Mercurio Seraphico obijcientes. Parcite mihi futuri Sacræ Regulæ cultores, fruſtra contrariamini D. SIMONI, vos parere decet juſſis, dum grata jubentur. Herbas, quæ rupta tellure cacumina tollunt, ſurſum radicibûs versîs plantate Novitij, nec quid novum ſub ſole autumate, majora viſuri. Proceram Jovis antiquo robore quercum proprijs effoſsâ manibûs ipſe D. SIMON frondibus in terram, radice in Cælum erectam, ſolo modô inſolitô ponit, quæ ſtatim in ramuſculos exuberavit. O prodigium! ſed non apud noſtrum Mercurium. Tantus ineſt ſanctiori Planetæ influxus, ut etiam truncos inclinari vegetariq; faciat. Conjunxit in pacem Mercurius ſuô caduceô pugnantes inter ſe colubros, verior Mercurius Seraphicus SIMON, virgâ directionis repugnantes voluntati ſuæ pacificavit Novitios. Appage faſtuoſe pacis & armorum arbiter, nec collauderis animas de Erebo evocâſſe, ventos concitâſſe, ac nubila traijciſſe; Seraphicus Mercurius partes impulit in omnes. Liberavit ab inferis toties peccatores, toties virtutis ſpiritum adversùs notos ſibi vitiorum Notos concitavit, quoties in ſanctioribus roſtris facundus peroravit. Ille de ore Mercurij SIMONIS procedebat gladius, illud ingenij

genij

genij acumen, quô à recalcitrante Superis populo inveteratos criminum stolones dedolavit. Fulgere sanctitate cùm nunquam desierit, sæpe non desijt contra petulca licentiosioris vitæ castra fulgurare. Periclem eum dicerem, ni probarem Mercurium, qui dum detonuit, nullius lacrymîs pupilla non pluebat. Excitauit Seraphicîs Mercurius alîs, etiam exæstuante Syrio, in torpentibus glaciali erga Deum frigore igniculos amoris, ut frigida hominũ corda Divina accenderentur charitate. Non tot caducas educat frondes Eryx, nec verê flores tot medio creat, quot animas facundus Mercurij Seraphici eduxit ad sidera sonus. Finxerit sanè ingeniosa Vatũ commentîs antiquitas Mercurium aureâ catenâ auribus hominum annexâ, mortales, quocunq; collibuisset, trahere, id veriori dogmate liquet Mercurio Seraphico adeò suo blandô eloquiô mortalium catenâsse animos, ut alij excussô vitiorum jugô, reciso effrenis naturæ impetu, ad sanam utilemq redacti fuerint virtutem, alij ex obscæna mundi caula, ad Religiosã exulaverint aulã.

Multis in locis D. SIMON facundus vobis patuit Mercurius, hîc facundissimus, ubi pro nomine IESU, erga quod totus amore liquescebat, tam ardentissimô ferebatur zelô, ut illud cum populo grandî tonô proferret, JESUS, JESUS, JESUS. O merum dulcorem! o meram Cælorum ambrosiam! O effatum! quod dum Mercurius fatur, ridet Cælum, exultat terra. Ubi sunt gemmeæ dactylothecæ? ut monile hoc Divinũ conservent, ubi plausus & triumphi? ut vocem hanc excipiant. Influxit in labia, cordaq; mortalium dulcissimum Salvatoris nomen, quod non nulli pro amarore habẽtes, immò Solis Justitiæ impati-

patientes Polyphæmi Capitulo Cracovienſi deferunt Mercurium Seraphicum, quaſi idololatram. Citatur D. SIMON, citatus mandato paret, terminum attentat, dumq intra trinas Vavelli conſiſtit coronas, ſpinîs arguitionis pungitur, cur novum morem introducat. Sed fruſtra pro domo Salvatoris facundus damnatur Mercurius, qui ſuam eloquentiam Æterno Verbo ſemper conformabat. Lignum delubri, cavete, ne dixeritis, Mercurius eſt, Deorum immortalium cultus, & ſacra inſtituere debet. Nuntium ſi putatis, encomia DEI proponere ejus officium. Non eſt verſutus Synon D. SIMON, ut ſimulatam præſeferat ſanctitatem. Exoſus ille Pſeudopoliticos, qui quidquid ajunt aguntq;, ſanctitatis minùs eſt, ipſi, veræ pietatis ſphynges ſunt, quã ſimulant non præſtant, ſepulchris veterum Romanorum ſimiles, quæ in titulo nomen Divinitatis præferebant, Dijs manibus conſecrata, ſed intus oſſium, & cinerum inquinamentis ſcatebant. Invenit tandem Halcyonia ſua Mercurius Seraphicus, qui aliquantisper jactabatur procellîs. Peroravit pro ſe lacrymîs, & felix pro domo ſua Mercurius, Orationis finem conſecutus. Non tam ad propoſita, quàm ad D. SIMONIS fletum inflexus Vavellus, inſtare cæpit, ut, quæ agitâſſet, exequi vellet. Egit Mercurium pro Domo Domini D. SIMON, immò Angelum in carne, quem audire inexplebilis voluptas, cum quo colloqui cunctis erat Tantalea ſitis. Defecit tandem Mercurius noſter vitali ſpiritu, non tamen vocibûs perorandi. Proximus morti, nudus in nuda locari petit humo, ad oſtiũ ſepeliri expoſcit, nunquam ipſe os ſuum claudere volens, quô pro Domo Domini peroraret. Gravî

confe-

confectum morbô invadit orco Parente nata Soboles, & ore vapido fatur: SIMON Seraphice; quare parùm piscium sumpsisti. Verùm quid tentas D. SIMONEM, contra quem si ipsum Acheronta moveres, omnes essent præstigiæ frustra. Time tibi, SIMON Divinissimus Mercurius est, mactabit te infernalem Argum. Citiùs ista fecit, quàm dixi, clara eum ferijt voce: *fuge satana* Fugit illico Euro ocyùs sua in antra tenebrio Averneus, quem Divinior lux Seraphici Mercurij perstringendo fugavit. Hucusq; in terrestri sphæra Seraphicum Mercurium vidistis, nunc illum ad supremam Cælorum Regionem elevatum intueamini. Ante Vacunæ ferias dum alij silentio vacant, Cælum Cathedram nactus Mercurius SIMON, ad Majestatem Divinam pro Domo Domini incessanter peroraturus. Semper adesse soli Mercurium ut Satellitem & Cancellarium si credere fas est, nostrum Seraphicum prælati Regia Cæli excepit, ut Increato Phæbo assisteret. Immò collocuturus cum Jove Mercurius, legumq; arcana hominibus explicaturus, sideream Olympi sedem occupavit. Vestra est laus Cælestes animæ, mellifluum Bernardi os, Religiosissimi Patres, quòd facundum pro Domo Domini habeatis Mercurium. Hanc à vobis Tyresias tantùm secernit, qui vos esse Mercurios non cernit. Vos quotquot Seraphini computamini, tot Mercurij, quia pro honore DEI, pro nomine JESU disertissimi. In promovendo cultu Divino, ut velociores sitis ipsi, talaria Seraphici Mercurij induitis. Vestrîs laboribûs Sanctitas Ecclesiæ elucescit, ignitâ svadâ decoratur, hostes hæretici profligantur, vestrô placidissimô eloquiô Sacratior Senatus, Infulis desti-

nata Capita permulcentur. Stylô Oratoriô in præconia ulteriora excurrenti, manus in Crucem compositæ pro terminali columna sunt præfixæ, & digitũ ponunt ad labellũ. Pro vobis Patres Religiossimi Mercurius peroret SIMON, vestrisq; meritis ipsum inclinet Cælũ. Quare Mercuri Seraphice loquere pro Domo tua, pro domo Patriæ corã Divina Majestate, ut sit pax missa per Orbem Sarmaticum, almaq; regnet faustitas. Et cum sis Mercurius, redde mitem nobis Tonantem, eripe Jovi fulmen, ne eô feriamur. Almam studiorum Matrem Universitatem Cracoviensem Divorum Poloniæ filiam Regum sub Tuis Seraphicis Mercuri Divinior conserva talarijs, ut à cunctis adversis sit secura. Vesanum Hæresum furorem mira tuæ vocis svavitate compesce, ne jam ampliùs in Orbe Lechæo scintillet. Esto pro Domo Domini Mercurius, ut deduxi &

D I X I.